

AD  
**AUDIENDAM VALEDICTIONEM**  
**DISCIPULI HACTENUS NOSTRI,**  
 INFRA NOMINATI,  
**DIE XXIV. OCTOBRIS, MDCCXXIV.**  
 IN  
**AUDITORIO MAJORI,**  
 AB HORA OCTAVA MATUTINA  
 INSTITUENDAM,  
**VENERANDOSDNN.INSPECTO-**  
**RES, FAUTORESQUE COLEN-**  
**DOS SCHOLAE NOSTRAE**  
 PEROFFICIOSE ET PERAMANTER  
*PRAESENTIBUS LITERIS*  
 INVITAT  
**M. GEORGIUS ANDREAS Winhold, R.**

---



---

*CY G N E A,*

LITERIS JOH. DAV. FRIDERICI.

BIBLIOTHECA  
 PONICKAVIANA





Um multum periculi non minus, quam commodi ex nuptiis Principum regnis & principatibus creari soleat: sane opus tam arduum & periculosæ plenum alex nunquam illotis manibus, neque sine magna prudentia tractari debet. Heic autem quatuor potissimum sese offerunt ingens pondus habitura, quæque consultantium animos in diversas partes rapiant, conscientia videlicet, necessitas, utilitas, denique & voluptas. Conscientiæ ratio, ut in alijs negotiis quibuscunque; sic etiam in hoc semper valeat plurimum, ne tranquillitas animi, in qua hominis beatitudo consistit, ulla ratione turbetur, aut lædatur; qua semel turbata, læsæ, cætera deinde omnia pariter turbata, læsæ, & quassata videbuntur. Quod ne usu eveniat, cordati rei quæ publicæ amantes consultores etiam vident, ne leges fundamentales imperii, imprimis ne leges divinæ per nuptias Principum violentur. Merito olim prudentissimo rerum conditori Suetonio Tib. Claudius Imperator est reprehensus, quod contra fas moremque Romanum Agrippinam uxorem duxerit, non cessans, omni ratione illam filiam, & alumnam, & in gremio suo natam atque educatam prædicare. Et Henricum VIII, Anglorum Regem post viginti demum annos, ipso fatente, subiit pœnitentia, quod Catharinam, fratris viduam, tori sociam asciverit; quæ res postea in Aula Pontificia longas disceptationes multasque turbas dedit. Durum necessitatis telum Principem nuptiis operam daturum sæpe eo redigit, ut ea facere compellatur, ad quæ, casu necessitatis amoto, nunquam fortassis erat accessurus. Hoc vinculo adamantino compulsi veteres Romani Sabinas rapuerunt, quem raptum acriter alias disputatum, ingeniose defendit Clapmarus. Alexander III, Stæcorum Rex, a Rege Norvegorum, Magno, cum de Insulis Hebridibus contendissent, certis legibus ad pacem amplectendam adigebatur, in quibus legibus etiam hæc comprehendebatur, ut Margarita Alexandri filia, vix dum ante annum nata, Hangoio Magni filio, in cunis adhuc vagienti, donec ambo ad maturitatem ætatis pervenissent, matrimonio jungeretur. Quod connubium sane necessitate coaluit. Non vero talem necessitatem huc trahimus, qualem sibi concepit Christoph. Besoldus, magnos viros existimans ad uxores ducendas liberosque suscipiendos adigi debere, quorum intuitus patrem reipublicæ amiciorem reddat. Quod consilium omne Fortnero displicet, quoniam votum relinquendi opes & potentiam liberis, ubi honesta non succedant, facile in pejus & ad scelera degeneret. Et Principibus profecto hic sua libertas relinquenda; quemadmodum Historia multos Reges & Magnates cælibes, etiam feminas Reginas & Principes, enumerat. Quamquam autem magnum patrocinium imbecillitatis humanæ habeat necessitas, & omnem legem frangat, ut ait Seneca; ei tamen sæpenumero plus indulgetur, quam licet, ita quidem, ut ipsi quoque juri naturæ illius prætextu vis inferatur. Jam & de utilitate ac voluptate conjugii Principum dicturi in præsentî dissertatione, saltem quæstionem paulisper examinabimus, non segnius inter Doctores sapientiæ civilis disceptatam, quam in confessibus Ministrorum de salute communi deliberrantium: Utrum scilicet publicam utilitatem, an privatam voluptatem, in uxore Principi quærenda, spectare deceat? Fortnerus, acuti viri iudicii, voluptatis illecebras omnes in hoc genere abscindit populorum Rectoribus,

ribus, quando ita loquitur: Privatorum est, eligere matrimonia examicitiæ affectu, vel morum concordia; Regibus ista sua uitas exuenda. Horum enim ea fortuna est, ut nunc indignos & exosos per sacratissima fœdera sibi coniungant; nunc omnium nexum iura, omnisque sanguinis necessitudinem inhumana crudelitas negligat. Est autem non obscurum, utilitate publica, quam vulgo interesse appellant, tum religionem patriæ, tum potentiam imperii atque imperantium, tum existimationem utriusque, tum stirpis regię propagationem reipublicæ necessariam, contineri. Fieri sane potest per matrimonia Principum, ut religionis cultus provehatur in majus, ut numerus religionem aliquam colentium augeatur, ut religio ipsa conservetur, propagetur, defendatur, labantique aut ruinam minanti, divinis auspiciis, suppetiæ ferantur. Scilicet connubio junctos arctius ligat mutua concordia, ad quam inter Christianos firmandam ac securius retinendam consensus fidei Christianæ atque eadem sacra non parum afferunt adiumentum; cum e contrario propter disensionem in sacris, diversumque colendi Numinis studium conjuges sæpe fiant sejuges, & perpetua rixarum ac dissidiorum semina inter eos spargantur. Si vero conjunx Principis limen ingressa, eidem religioni cum marito est addicta, aut maritus se illi addicat, modo illa vera sit, major inter ambos stat fides, religio patriæ gliscit magis, agnati cognatique novæ nuptæ vel eandem religionem professi spiritus majores de cultu publico capiunt; vel amplexi diversam, ansam certe accipiunt, cum suis in istorum sacris profiteri nomina sua. Religiose igitur patres fœderis antiquitus a Deo constituti caverunt, ne in aras suas alienos ignes inferrent, & connubiorum gentilium macula se polluerent. Unde principes patrum, Abrahamus Saram, Harami fratris sui filiam; Isaacus suam patris Rebeccam de cognatis quæsitam; Jacobus a Labano, leviro suo, ex Mesopotamia arcessitam duxere uxores. Quanto ardore Angli Scotique reformati rem suæ religionis stabilitum iverint, ex actis publicis seculi superioris cernere est; quibus decreverunt, ut nemini ad regni Anglici & Scotici successionem aditus pateret, qui se vel confociaffer cum religionis Romanæ confortibus, vel eandem religionem profiteretur, vel conjugium inituri aut initura essent cum Romano-Catholico aut Catholica. Idem præ oculis habuit autor libelli, qui inscribitur: *Sang des edlen Lebens durch fremde Glaubens-Ühe*, & anno 1689. Lipsiæ prohibat; sed in multis extra oleas vagatus, neque veritatis ubique attingens metam, a celeberrimo Jurisconsulto non sine causa vapulavit, opponente ei sine relictissimæ Crörterung. Videas inde, nostra quoque ætate, cum Principes animum adiungunt ad nuptias, sive suo, sive alieno usi consilio, fere ejusdem religionis, quam ipsi profitentur, sibi uxores legere. Etiam feminae Principes connubii fœdus non aliter acceperunt, nisi novi mariti acciperent suam religionem; quæ conditio sæpenumero Attalicas conditiones attulit. Sic Hedwigin, Ludovici, Regis Hungariæ, filiam, in solium regium collocatam a Polonis, Jagello, Magnus Dux Lithuanie ambiebat conjugem sibi futuram. Enim vero voti sui damnari aliter haud potuit, quam religione gentilium abjurata, & nisi prius se obstringeret, id se acturum, ut Lithuania atque Samogitia perinde sacramento militiæ Christianæ se initiari paterentur, & fidem salutarem amplexati Christo nomen darent. Similiter Mieczislaus XV. Princeps Poloniæ, rejecta atque damnata idololatria gentilium,

repudiatisque uxoribus pluribus, quas gentilis habuerat, Dombrogue-  
 vam duxit, Boleslai I. Ducis Bohemix filiam. Quippe hæc illius amo-  
 rem conjugalem averfata erat, nisi sacro fonte; more Christianorum  
 tingeretur; id quod statim ritu solemnifacrum legitur. Adeo delica-  
 ra res est religio, etiam in eo rerum articulo, cum in confilia infuit  
 contrahendi matrimonii. Diximus fupra, ad utilitatem publicam per-  
 tinere etiam imperii imperantiumque potentiam, rem non minus deli-  
 catam, quando jugales tædæ accendendæ veniunt, & quæ regentium  
 animis non fecus fe implicet, ac proceræ quercui, ut Poeta loquitur,  
 hedera fe adfringit. Ponit enim ante oculos dorem, modo præfen-  
 tem, modo pendentem a fpe, ferius, ocyus exitura, prout fors tulerit.  
 Ponit fiduciam ex nova affinitate concipiendam, amicitiamque vel con-  
 ftituit, vel roborat, & retinet, vel renovat, ne ipfe, quicum nobis interce-  
 dit neceffitudo, noxam rebus noftris inferat, ne alii potentiam novi affi-  
 nis metuentes nos bello laceffant: Ponit, abjecta mora, præfentem opem,  
 ab altero certiffime expectandam: Ponit exiftimationem & imperii, &  
 imperantium: Denique etiam fœcunditatem matrimonii rebus publicis  
 expetendam ponit. Dos præfens, præfertim ampla & munifica, Prin-  
 cipem egenrem maxime, beat ut quam maxime, aclocupletat. Wel-  
 pus junior e Germania concedens in Italiam, conjugem fortitus eft Ma-  
 thildam, Egberti, Marchionis Saxonix filiam, quam magis pro fua vir-  
 tute & amplitudine patrimonii, quod in Lombardia tenebat potens, quam  
 fpe liberorum duxit uxorem. Ferdinandus, Rex Hispanix, Elifabe-  
 tham, forem illius Ferdinandi, qui ab Eduardo Rege Anglorum occi-  
 fus erat, nancifcendo in confortium vitæ conjugalis, fimul Hispaniam ul-  
 teriorem dotis nomine naftus eft. Carolus VIII, Rex Gallix, Margare-  
 tham, Maximiliani Imp. filiam, jam fibi desponfam, jam annos aliquot in  
 illo regno moratam, tamen repudiavit, Annamque cum ampliffima dote  
 Britannix Armoricæ, quæ, patre ipfius sine prole mafcula defuncto,  
 ad ipfam devolvebatur, fponfa dictæ præpofuit. Eandem deinde vidu-  
 am factam Ludovicus XII, Rex itidem Gallix, pariter dotis præfentis  
 dulcedine captus, legit fibi conjugem, hoc fucio illines potentix augendæ  
 cupidinem, quod repudiata ingratiis fibi a fratre fuiffet collocata. Hæ-  
 ret in animis noftris vel præcipue conjugium par, dotalitiis acceffioni-  
 bus regnorum longe aufpicatiffimum, Maximiliani I. qui fper non e lon-  
 ginquo, fed cominus videbat potentix fuæ, & Ferdinandi I. cui quidem  
 ferius fors videbatur favere, fed, ut eventus docuit, fpe celerius favit.  
 Etenim Maximilianus ille, Imperator gloriofiffimus, cum vix annum  
 XVIII, attigiffet ætatis, annitente patre ipfius, Friderico, in castris, Ma-  
 riam Burgundicam Belgio opulentiffimo dotatam, amplexu maritali ex-  
 cipere potuit. Quæ de felicitate extat drama rarum Melchioris  
 Phntzingii, ad S. Albani prope Moguntiam Capellani, & ad S.  
 Sebaldi apud Norimbergenses quondam Præpofiti, quod voca-  
 tur *der Theuerdank*, & primum Norimbergæ cum figuris 1517,  
 iterum auctius & emendatius Francofurti 1563. opera Burcardi  
 Waldis, lucem publicam vidit. Ferdinandus vero, Imperator idem  
 gloriofiffimus, conjugem fibi affociavit Annam, filiam Uladislai, Regis  
 Hungariæ & Bohemix, forem unici fratris, Ludovici, itidem Regis  
 Hungariæ & Bohemix, adeoque fper potiundi regnis non nifi procul ei  
 affulgebat; nifi fato peracerbo contigiffet, ut Ludovicus, viginti duorum  
 annorum Princeps, ad Mogacium, oppidum, furorem Turcicum effu-  
 giturus, fed equi lapfu in paludem præcipitatus, fuffocaretur. Hæc duo  
 regna,

regna, Ungaricum & Boheanicum, cum Majestate Imperatoria jam ante  
 Albertus II. conjuncta habuit, ex eoque præpotens atque inter reliquas  
 Germanicas eminentissima Domus Austriaca perpetuo usque ad hunc  
 diem prælata fuit ab Electoribus Imperii nostri, in conferendo regni-  
 nis Romano-Germanici fastigio, quotiescunque tantis rebus, vacante  
 Imperio, præficiendum esset caput, quoniam salus publica non alios,  
 nisi Austriacos Heroes sibi deposceret, salva nihilominus manente ele-  
 ctione libera Regis aut Imperatoris. Amicitia per matrimonium con-  
 stitutæ fructum multiplicem percepit Christianus II. Rex Daniæ, Isabel-  
 lam, Caroli V. Imp. forem, & Philippi Regis Hispanorum filiam ha-  
 bens conjugem. Nam præter dotem opulentam, Domum Hispanicam  
 Austriacamque sibi undiquaque fautricem est expertus. Retinent ami-  
 citiam Regum & corroborat bonis avibus conglutinatum matrimonii  
 vinculum. Quamdiu inter Cæsarem & Pompejum, focerum generum-  
 que affinitas viguit, nulla inter utrumque exiit simultas, nullum odi-  
 um. Simul vero Julia, talium virorum copula, consternatione repen-  
 tina efflasset animam (Pompeji sui conjugis vestem cruore resperfam  
 viderat, rata in Campo Martio ei vim illatam fuisse) Pompejus idem  
 confestim cum domo Julii fecit divortium, quod ipsi quidem caput po-  
 stremo abstulit; huic autem immaturum vitæ exitum acceleravit. Phi-  
 lippus V. Rex Hispaniæ nuper ad thronum regium sua sponte abdicatum,  
 raro exemplo, rediens, cum Maria Lovisa Gabriele Sabaudica dum  
 maritalem societatem ingressus erat primis votis, novo fœdere simul  
 veterem inter utramque familiam renovavit amicitiam. Porro &  
 ad opem ferendam Principi laboranti quandoque bonum augu-  
 rium lecti genialis infervit. Id Alphonfus VI. Dux Castiliæ &  
 Legionis suo exemplo comprobatur, qui Mauros paulatim ex Hispania  
 depulsurus, quo Raimundi, Comitis S. Ægidii, & Henrici, Comitis Lo-  
 tharingiæ, Christiano nomini devoventibus militiam suam, necessitudi-  
 ne sese arctius muniret, priori filiam suam natu majorem, cui regnum  
 debebatur, posteriori minorem, Theresiam, in matrimonium dedit. Et  
 Henrico quidem, viro fortissimo, tractum illum Galliciæ, qui Portuga-  
 liam a Durio flumine, usque ad Conimbricam, separat, dotis nomine,  
 & in remunerationem virtutis militaris assignavit, permitrens in super  
 eidem eam quoque partem Lusitaniæ occupare, quæ usque ad Bæticæ  
 confinia a Saracenis occupata fuerat. Sæpius opem ex connubiis spe-  
 randam posteriora demum afferunt tempora, quæ sementem jaciunt in  
 messem futuram, & aliquando colligendam. Quorsum tendant matri-  
 monia inter Domum Hispanicam & Gallicam hæcenus tanta sollicitu-  
 dine atque industria contracta, non penitus ignorant sagaciores arca-  
 norum consiliorum indagatores, & quibus negotiorum publicorum in-  
 doles innotuit. Jam si præterea aliquid de existimatione Principum  
 dicendum sit, quam fidem spondentes uxoribus reportaturi sint, constat  
 satis ex monumentis literarum, nonnullos se hic turpiter dedisse, non-  
 nullos contra sibi gloriam magnam comparasse. Antiochus Rex  
 amoris æstu abreptus, ex domo privata, & obscuri etiam inter popula-  
 res generis uxorem ducens, non minimum commaculavit famam no-  
 minis sui. Idem accidit Erico XIV. Suecorum Regi, cum Cathari-  
 na, licetoris filia, Holmiæ fœdus connubii obfirmanti in templo publico.  
 Item Sigismundo Poloniæ Regi, repudiata Ferdinandi, Regis Romanor-  
 um, filia, inconsulto amore matronæ subditæ irretito; Neque minus

Bohemiæ Duci, Udalrico XXII. puellam rusticam, Beatricem, frustra distuadentibus omnibus, consuetudine conjugali amplexanti. Et quamvis Udalricus semet excusaret; haud tamen potuit efficere, ut extra aulam fugillatione careret; præsertim in cœtu matronarum nobilium, procaciter ignobilitatem Beatricis incessentium. Nec adeo Maximiliani I. cum Blanca Maria Sfortia pactæ nuptiæ plerisque Germaniæ Principibus probabantur, quod Sfortiorum ac Vice-Comitum familia Austriacæ veteri & tot majorum imaginibus auctæ profapiæ impar esset, videreturque Cæsar dote magis, quam genere adductus, eam affinitatem inivisse. Id quod ne Romæ olim contingeret, lege Julia & Papiæ Poppeæ cautum erat, & idcirco Auli filiam patriciam, L. Volumnio Consuli e plebe enuptam, a patriciis matronis Patriciæ Pudicitia, cujus templum in foro Boario ad ædem Herculis fuerat, sacris prohibitam memoriæ proditur. Parsqve meroris fuit, quod Julia Drusi filia, quondam Neronis uxor, in domum Rubellii Blandi denuperat, cujus avum Tiburtem Equitem Romanum plerique meminerant. At plurimi hos scopulos caute atque prudenter declinarunt; ut Perdiccas, qui ad nuptias Cleopatæ, Alexandri M. Sororis, & alterius Alexandri ante uxoris, intendebat, quo felicius autoritatem regiam acquireret; Ut Darius, principio regni, Cyri Regis filiam, regibus nuptiis regnum firmaturus, in matrimonium recepit, ut non tam in extraneum translatus, quam in familiam Cyri reversum videretur; Ut Guilielmus Auriacus connubio Mariæ, Jacobi II. Regis Anglorum filia, felicissimus, utpote qui, fugiente Socero, pari cum Regina dignitate, majore etiam autoritate rexit populos. Cui adjungatur Astinis æque fortunatus Annæ, Reginae Anglicæ conjugio, Georgius Daniæ Princeps, qui in regiam familiam suam lumen intulerunt, vicissimque regio lumine illuminati fuerunt. Ultimum dicendorum in progenie seu fecunditate uxorum regiarum ponebatur. Hanc a voluntate clementi Numinis dependere, res ipsa declarat; sæpius tamen si minus sciri omnino, certe aliquo modo conjici, præsertim ex ætate, eadem poterit. Facile autem Principes fastidiunt vel averfantur suarum sterilitatem; quemadmodum fecundita magnum perpetui amoris ac benevolentia incitamentum esse solet. Alphonfus X. Castellæ Rex uxorem habuit Violantam, Jacobi, Arragonum Regis, filiam, quam principio diligebat plurimum. Sed cum prolem ex ea susciperet nullam, dimittere eam cogitans, præter spem omnium inveniebat gravidam. Mater ergo non infelix contemptum sui vindicavit, maritumque suum permovit, ut, damnato priore consilio, Christianam, Regis Daciæ filiam, (hanc enim jam in Hispaniam adduci fecerat) non ascisceret in torum, sed fratri suo Philippo adjudicaret. Hactenus utilitatem ex matrimoniis Principum redundaturam dispeximus. Consideremus paucis & voluptatem. Hanc summi imperantes non tam ex corporis usu, quam pulchritudinis æstimatione, virtutumque, quæ ex novis nuptis eluceant, nitore atque reliqua fortuna capiunt. Maria, Caroli Ducis Burgundici filia, sponsa vix sponso Maximiliano viso, ipsum ardentissime amare cœpit, atque paucis annis, quibus simul concorditer vixere, Philippum, Franciscum, Georgium filios, ac Margaritam filiam peperit. Secus res cecidit Adelheydæ, Reginae Polonicæ. Namque eam Casimirus M. Rex Poloniæ adspersatus, in curia Zarnowitz quasi relegatam & vile mancipium, servavit, raro videntem Regis faciem. Patrem igitur suum Henricum Hassiæ

Hassiæ Landgravium, literis compellabat, ut se calamitatj opprobrio-  
 que eriperet, inque paternum domicilium transferret. Transtulit  
 misericordia tactus parens, & Rege non invito, filiam cum omni supel-  
 lectili in Hassiam reduxit. Jam præmissis istis, in promptu, ni fallor,  
 erit, ad quaestionem supra positam respondere; nimirum quod prima  
 ratio habenda sit utilitatis publicæ, secunda voluptatis. Si quis enim  
 superiora componat cum delectatione Principis, nulla utique cernitur  
 proportio: illa ad integrum populum pertinet; hæc ad privatam vi-  
 tam Principis. Quod vero publice salutare non est: id privatim alie-  
 num existimetur. Scilicet Reges populi, monente Forstnero ad Tac-  
 itum, non populus Regis causa factus & constitutus est, ideoque om-  
 nes Principis curas, cogitationes, & studia ad salutem & utilitatem po-  
 puli dirigi debent, & Princeps extra dubitationem popularis fit, amo-  
 remque suorum civium meretur, qui præcipua utilitate, ut ejusdem  
 Forstneri verba faciam mea, alit potentiam, affinitatesque censentur  
 pulcherrimæ, quibus maxime regnum stabilitur. Atqui, inquit  
 aliquis, non placet conjugium, persona conjugis non placente. Quod  
 enim pictura est sine lumine; id conjugium sine amore; neutrum allit-  
 cit oculos, multo minus animum afficit. Utrumque cibus sine sale,  
 insipidus, sine gustu, sine gratia. Enimvero quando primas commo-  
 dis publicis, secundas curas privatæ dulcedini damus, non ideo hanc  
 ab illis separamus, sed potius conjuncta utraque cupimus. Et satis  
 fuerit forsasse, aliquem subesse amoris sensum. Quamobrem pru-  
 denter faciunt sponsas lecturi Principes, quod legendarum imagines  
 hand raro sibi ob oculos poni curent, ne conatus jucunditatis causa  
 susceptus in amaritudinem desinat, & sera pœnitentia consequatur.  
 Quanquam Henricus VIII. Anglorum Rex, quoniam Anna Clivien-  
 sis cum imagine a pictore expressa non congruebat, ad eam confestim  
 nauseare cepit. Et is quidem tres Catharinas, duas Annas, unam  
 Janam non sine fastidio per temporum intervalla ad latus habuit.  
 Quod si tamen nec aliquis amoris stimulus sentiatur: at Principum  
 animi excelsi, & humanis rebus sublimiores non formam corporis aut  
 decus oris, sed virtutem, sed genus & par suæ fortunæ fastigium, sed  
 utilitatem imperii, & quantum momentum positum sit ad incolumi-  
 tatem civium, talem Principem feminam magni æstimari, oculis vi-  
 gilantibus respiciunt. Cumque desint aliqua ad voluptatis sensum; in  
 hoc se solantur, in hoc acquiescunt, in hoc se beatos prædicant, quod  
 populis regendis destinati, divinam Majestatem in his terris imitari  
 videantur. In nuptiis Pelei & Thetidis, convivæ interfuerunt inter  
 Deas Venus, Juno & Minerva, remota Discordia, quæ non invitata fu-  
 erit. Gratulatur sibi bonus Princeps; seu Venerem habeat uxorem  
 omni delectatione superfundentem mariti pectus; seu Junonem maje-  
 state venerandam, & copia sobolis amabilem; seu Minervam sapientia  
 ac virtutum splendore gravem colendamque. Nullam hic vim obti-  
 net discordia. Quæ de connubiis Principum hætenus in laudem  
 dicta sunt; ea tum in alios Principes ævi nostri, tum præcipue  
 in Serenissimum Principem Regium & Electoralem Saxonæ nostræ  
 charissimæ Fridericum Augustum II. conveniunt. Is enim, ut cætera  
 nunc venerabundo silentio prætereamus, quæ grandis voluminis in-  
 star exigunt, & talem eloquentiam, qualis nequaquam cadit in no-  
 stram hanc infantiam, cum conjuge sua suavissima, Serenissima

Maria

FK Tm. 194

X 3380892

Maria Josepha Austriaca ita vivit beate, omnibus abundat ju-  
 cunditatibus consummatissimi matrimonii, divina ac prorsus singu-  
 lari Numinis indulgentia ci obortis, ut omnes etiam populi in tanta  
 bona, in tantam felicitatem inspicientes! gaudio gestiant, & applau-  
 dentes tam inusitata Ser. conjugum concordiae animorumque  
 conspirationi cum Pöeta Latino exclament: Felices ter & am-  
 plius, quos irrupta tenet copula, nec malis divulsus quverimoniis  
 suprema citius solvet amor die! Matri autem felicissimi uteri, jam quar-  
 tum sacros partus sustinenti, fama totius orbis teste, illud Maro-  
 nis acclament: DIS GENITA, ET GENITURA DEOS! Ista intuens,  
 qvanqvam ausu temerario,

GEORGIUS GOTTHOFREDUS RICHTERUS,  
 Reichenbachio-Varifcus,

sed fretus tamen subjectissima pietate ac devotione erga Principem, Do-  
 minum suum longe clementissimum, occasionem inde arripuit, pro  
 discessu in Academiam, orationem conscribendi de Föeminis Principi-  
 bus Domui Saxonicae auspiciatissimis, ut deinde ad Serenissimum  
 Principem Regiam & Electoralem Saxoniae, Dominam suam longe  
 clementissimam transiturus, quantum ipsi imbecillitas sua permit-  
 teret, pia vota in tantam matrem ejusque partum effunderet. Cui  
 pro more nostro respondebit

JOHANNES FRIDERICUS CONRADI, ejusdem civitatis.  
 Nos discedenti illud feliciter! ut debemus, juveni tam probro, & tam  
 emendati exempli acclamamus. P. P. Cygneae d. 24. Octobr. A. O. R.  
 1724.



MC





AD  
**AUDIENDAM VALEDICTIONEM**  
**DISCIPULI HACTENUS NOSTRI,**  
 INFRA NOMINATI,  
*DIE XXIV. OCTOBRIS, MDCCXXIV.*  
 IN  
**AUDITORIO MAJORI,**  
 AB HORA OCTAVA MATUTINA  
 INSTITUENDAM,

**RANDOSDNN.INSPECTO-**  
**FAUTORESQUE COLEN-**  
**DOS SCHOLAE NOSTRAE**  
 OFFICIOSE ET PERAMANTER  
*PRAESENTIBUS LITERIS*  
 INVITAT  
**ORGIVS ANDREAS Binhold, R.**

*CY G N E Æ,*  
 LITERIS JOH. DAV. FRIDERICI.

